



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. An Deus suâ infinitâ Providentiâ, omnes nostras bonas operationes
ab æterno prædefiniat, & prædeterminet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

DE PROVIDENTIA DEI.

507

potentia executiva. Quare D. Thomas loco citato de verit. in fine corporis articuli ait: *Actus potest presupponit actum providentia sicut dirigen: unde in providentia non includuntur potentia, sicut voluntas.* Id magis constabit ex di-

Disp. 1. cendis Tractatu sequenti, ubi actus ad prædilectionis negotiorum pertinentes discutiemus, & præcipua discrimina qua intercedunt inter providentiam Dei generalem, & prædilectionem, qua est specialis providentia, quæ creatura rationalis ad æternam beatitudinem efficaciter ordinatur, exponemus.

95. Quærit D. Thomas hic art. 3. an Deus immediate omnibus rebus provideat? Et respondeat quod ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisatum in finem, & executionis hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Et subdit, quod quantum ad primum, Deus immediate omnibus prævidet, cum in suo intellectu habeat rationes omnium rerum etiam minimatum; non vero quantum ad secundum, sed inferiora gubernat per superiora; non propter defecuum sue virtutis, sed propter abundantiam sue bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communiceat.

Id magis explicat & confirmat 3. contra Gent. cap. 77 ex differentia quæ est inter Dei providentiam, quatenus ordinat, & eandem, quatenus exequitur eundem ordinem; primum enim (inquit) fit per virtutem cognoscitivam, secundum per virutem operativam: hæc autem ita se habent, quod tanto perfectior est ordinatio, quanto perfectior virtus cognoscitiva, & quanto magis ad minima descendit: minimorum autem executione concedet inferiorem virtutem effectui proportionata: in Deo vero quantum ad uerumque summa perfectio est, in eo enim est perfectissima sapientia ad ordinandum, & perfectissima virtus ad operandum: operet igitur quod ipse per sapientiam omnium ordines disponat etiam minimum, exequatur vero minima, sive infima, per alias inferiores virtutes, per quas ipse operatur, sicut virtus universalis & altior, per inferiorem & particularē virtutem: Ergo convenientissimum est, quod Deus res per seipsum disponat & ordinet, illam tamen dispositionem per causas inferiores exequatur, & quibusdam utatur creaturis, ut alias regat & gubernet. Unde substantia intellexualibus uitio in gubernatione rerum corporalium, & inter substantias corporales, inferiora hæc & sublunaria, reguntur per corpora celestia; homo vero, quia medium tenet inter creaturas merè spirituales & corporales; ut spiritualis & cognoscitivus, subiicitur Angelis à quibus illuminatur; ut corporeus vero, & in actionibus corporis, subditur corporibus celestibus. & ab eorum influentiis dependet; quatenus vero liber, & agens voluntarium, ac sui ipsius dominus, nulli rei creatæ subiicitur, sed soli Deo, cuius providentia ejus motus voluntarij & liberi immediatè subduntur, ut docet S. Thomas 3. contra Gent. cap. 90.

96. Nec solum in ordine naturæ Deus regit creaturas inferiores per superiorites, sed etiam in ordine gratia; quod ex duplice capite provenit. Primo ex ipsa Dei providentia, quæ ut perfectissima est, convenientissimum etiam ordinem rebus tribuit: sic autem res convenientissime ordinantur, quando perfectio unius cedit in bonum imperfectioris, & excessus illius quæ perfectior est, redundant in utilitate ejus quæ minus est perfecta: Perfectio divina providentie (inquit D. Thomas)

Tom. I.

A requirit ut excessum aliquarum rerum supra alias, 3. con- ad ordinem convenientem reducat: hoc autem sit, tra- cùm ex superabundantia aliquorum magis haben- Gent. cap. 77. ratione Secundò id provenit ex ipsa perfectione rerum, s.

*cum enim bonum sit sui diffusivum, ex Dionysio 4. de divinis nominibus, quæ est res aliqua me- lior, eò est magis diffusiva sui. Item quæ res aliqua est melior & perfectior, eò est Deo simili- or: Deus autem totus est sui diffusivus: Ergo quæ aliqua agentia magis in participatione di- vina bonitatis constituntur, tantò magis per- fectiones suas nituntur in alios transfundere, quantum possibile est. Unde Beatus Petrus mo- net eos qui divinam bonitatem per gratiam par- ticipant, ut eam in alios, quantum fieri potest, transfundant: *Vnusquisque (inquit) sicut accipit 1. Petri gratiam, in alterutrum illam administrantes, si- 4. cui boni dispensatores multiformis gratia Dei.* Ex quo infert D. Thomas infra quæst. 106. art. 4. quod Sancti Angeli qui sunt in plenisima parti- cipatione divina bonitatis, quidquid à Deo per- cipiunt, subjectis impertinentur. Ex hoc etiam constat, quod intra ordinem gratia, Christus Dominus, ut Deo propinquior (cum Deus sit) in totum ordinem illum influit, neque enim ali- quis participat gratiam aliquam, quam ex ejus meritis non possideat; & sancti quod Christo sive Deo sunt propinquiores, ut Beatissima Virgo, Apostoli, fundatores Ordinum &c. eò magis in- fluent in alios.*

ARTICULUS III.

An Deus suā infinitā Providentiā, omnes nostras bona operationes ab æterno præ- definiat, & prædeterminet?

§. I.

Quibusdam premisis, sententia affirmativa ut vera eligitur.

*N*otandum primò, duplex solere distingui decretum à Theologis, unum positivum, quo Deus vult positiè aliquid esse; & aliud permissivum, quo sinit, vel permittit aliquid fieri. Ut enim dicit Augustinus in Enchirid. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel finendo ut fiat, vel ipse faciendo.* De hoc secundo decreto non loquimur in præsenti, quia non agimus hic de actibus malis & peccaminosis, quos Deus solum permittit, sed de bonis operibus, quæ positivè vult, & decernit, ac per scientiam approbationis cognoscit.

E Notandum secundò, quod quando quæritur, an divina providentia actus liberos voluntatis create prædefiniat, & prædeterminet? particula præ duplice potest importare, vel designare prioritatem. Unam durationis & temporis: alteram naturæ, seu causalitatis. De prima, nulla est difficultas, vel controversia: constat enim, ab æterno, & ante omnia tempora, dispositionem de rebus faciendis fuisse in mente divina. Nam elegit nos ante mundi constitutionem, ut ait Apostolus; & ante secula decrevit, qua- lier per secula disposuit, inquit Gregorius in moralibus. Tota ergo controversia devolvitur ad secundum genus prioritatis, an scilicet dentur in Deo decreta, quæ prioritate naturæ & causalitatis

Sff ij

antecedant futuritatem consensus, & determinationis nostrae voluntatis; vel illam supponant ut à Deo prævisam per scientiam medianam? Cujus difficultatis resolutio pender ex principiis supra statutis, impugnando scientiam medianam, & divinorum decretorum efficaciam demonstrando. Unde

99. Dico, Deum suā infinitā providentiā præordine, prædefinire, seu prædeterminare omnes actus bonos & honestos quos voluntas creata in tempore elicitura est: non solum quantum ad illorum substantiam, sed etiam quantum ad modum libertatis & contingentia in eis inclusum. Est contra defensores scientie mediae, qui (ut supra vidimus) tales prædefinitions & prædeterminationes aeternas & efficaces reiciunt, & sola decreta indifferencia & conditionata, consensum & determinationem liberi arbitrij expectantia, in Deo agnoscunt. Vel si admittant decreta determinata & absoluta, volunt ea esse subordinata scientie media, & supponere prævisionem futuri consensus, saltem sub conditione quod homo ponatur in his vel illis circumstantiis & occasionibus.

100. Nostram tamen conclusionem docent non solum omnes Thomistæ, sed etiam plures ex antiquioribus & recentioribus Theologis, quorum longum catalogum conscribunt Salmanticenses h[ic] disp. 10. dub. 3. & Alvarez lib. 1. responsorum cap. 1. Imò Henricus Henricus celebris scriptor Societatis libro ultimo de fine hominis, cap. 4. num. 2. in textu fatetur hanc ante Molinan fuisse concordem & unaninem Theologorum sententiam. Recl[er]e (inquit) concors Theologorum sententia docet. Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem, ex providentia perfecta ab eterno, in qua, & per quam, tanquam prærationem, certè omnia sciat. Et cap. 5. allegat pro hac sententia plusquam viginti Doctores, tam antiquis, quam ex modernis. Et ibidem addit, Non est ita difficile conciliare liberatem hominis cum tali prædeterminatione, ut quidam Recentiores putant. Subscribit Azorius, & quod olim de Cicerone Augustinus dixit, junioribus sua Societas Theologis attribuit: ait enim lib. 4. inst. Moral. cap. 22. quast. 21. Pauci junioribus Theologi, ut voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum opera nostra bona prefigire.

§. II.

Quædam Scriptura testimonia breviter expenduntur.

101. **P**lura Scriptura loca supra disp. 5. retulimus, ad divinorum decretorum efficaciam demonstrandam, que etiam aeternas divinæ providentiae prædefinitions aperte declarant. Ut tamen hæc veritas, que est unum ex precipuis doctrinae Thomisticae fundamentis, magis elucidetur, & firmius stabilitur, alia Scriptura testimonia breviter h[ic] exponenda sunt.

Primum sumitur ex Apostolo ad Ephes. 1. dicente: Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis sua. Quibus verbis in primis reicit decreta indifferencia & conditionata, consensum, & determinationem voluntatis creatae expectantia: nam ut ibidem observat S. Thomas, Apostolus non dicit quod Deus operatur omnia secundum voluntatem, ne credas quod sit irrationalis, sed secundum consilium voluntatis sua: id est secundum voluntatem suam, que est ex ratione; non secun-

A. dum quod ratio importat discursum, sed secundum quod designat certam & deliberatam voluntatem. Constat autem quod nomine certa & deliberate voluntatis, non intelligitur voluntas conditionalis & inefficax, quâ Deus decernat se influxurum in actus voluntatis creatae, si ipsa voluerit: nam hac voluntas non est certa, sed potius incerta & indeterminata; siquidem ex yi hujus voluntatis non haber Deus potius concurrere, quam non concurrere; sed sicut concurreceret si voluntas creata velleret, ita non concurreceret, si voluntas creata non velleret: Ergo &c.

Secundo per hec Apostoli verba, excluduntur alia decreta absoluta & determinata, prævisionem futuri consensus supponentia, que etiam in Deo fingunt defensores scientie mediae: nam si Deus nihil circa nosnos actus liberos determinaret statueret, nisi supposita præscientia futuri consensus voluntatis nostræ, non operaretur omnia secundum consilium voluntatis sua, sed potius secundum præscientiam consensus & deliberationis voluntatis nostræ. Unde Author libri Hypognosticon recte notavit, Paulum non dixisse quod Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis humanae (sive absolutæ, sive sub conditione prævisum) sed secundum consilium voluntatis sua: quia ad hanc solum respexit, ut de operationibus creatis in tempore facientis disponeret.

Secundum testimonium habetur cap. 2. ejusdem Epistolæ ad Ephesios, ubi dicitur: *F*psus enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, que preparavit Deus ut in illis ambulemus. Circa quem locum duo etiam notanda sunt. Primum est, quod fideles dicuntur creari in operibus bonis, quia sicut creatio non presupponit subjectum, sed facit; ita voluntas divina preparans bona opera, non presupponit consensum voluntatis nostræ, sed illum per suam gratiam efficit. Secundum, quod dicuntur bona opera à Deo præparata: id est prædestinata, prædefinita, seu prædeterminata, juxta significationem textus Græci, ubi habetur verbum *εποπίζειν*, quod significat prædefinire, præstatuere, & prædeterminate. Unde D. Athanasius explicans hæc verba Apostoli, hanc præparationem, prædefinitionem appellat. Et S. Prosper resp. 14. ad capita Gallicanorum: *F*ides (inquit) & charitatis opera, atque in ejus usque ad finem perseverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, recte & ista; & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur ex authoritate Apostoli dicentes. Creati in operibus bonis que preparavit Deus &c. Quod desumptum ex Augustino lib. de prædest. SS. cap. 10. & ex illis postea S. Fulgentius, quilib. 1. ad Monimum ait: *D*eus hoc gratuitâ justificatione tribuit præparatum, quod in eterna prædestinatione præparaverat tribendum.

E. His Apostoli testimonii addi potest istud Ecclesiastici 33. *Quare dies diem superat, & annus annum à Sole?* A Domini scientia separati sunt, factio Sole, & præceptum custodiens, per Dei sapientiam dividuntur, & immutavit tempora, & dies festos ipsorum. & ex ipsis exaltavit, & magnificavit Deus. Quæ analogia dierum & annorum intelligi putat Augustinus discretionem jutitorum à peccatoribus, & prædestinatoꝝ à reprobis, factam ex dispositione & prædefinitione divina; sicut enim dies diem superat, cum aliis alio sit lucidior, placidior, salubrior, fertilior, imò etiam festivior & sanctior, quam-

102.

103.

Lib. 1.

ad Sim-

plici qu-

2. ver-

sus fi-

mem.

DE PROVIDENTIA DEI.

509

vis ex parte ipsorum nulla sit ratio discriminis, unusque & idem Sol omnium sit causa; quia Deus suā providentiā disponit cursum Solis, & suis legibus decernit felicitatem & sanctitatem diuinum; ita ex hominibus & Angelis alius alium superat meritis, sanctitate, & beatitudine aeternā, quamvis ex parte ipsorum, nulla eos ratio seu causa discernat, sed Deus suā providentiā, & auxiliorum gratiae dispositione, eos dividit & inaequales facit.

§. III.

Celebre S. Dionysij testimonium.

EAsdem aternas & efficaces divinæ voluntatis prædefinitiones, passim docent SS. Patres, easque varijs nominibus insigniunt. Nam D. Dionysius vocat illas: *Divinas & bonas voluntates, existentium prædeterminativas, & effectivas.* D. Athanasius & Damascenus, *divinas prædefinitiones.* D. Thomas, *prædeterminationes.* D. Augustinus, D. Gregorius, SS. Prosper, & Fulgentius, *prædefinitiones.* Dionysius Carthusianus, dicit quid *Theologia vocat illas paradigmata.* Et Marsilius illas nominat, *prescriptiones, & antedecra.*

104. Celebris ergo locus habetur apud Dionysium cap. 5. de divin. nomin. titulo de exemplaribus: ubi, ut advertit D. Thomas ibidem lect. 3, agit contra quedam Clementem Philosophum Platonicum, qui existimabat Deum non esse causam rerum determinatricem, & productivam, secundum proprias rationes, sed solum secundum id quod est illis commune. Unde ponebat (inquit S. Doctor) quasdam causas secundas, per quas res ad proprias naturas determinantur; & has causas secundas, exemplaria rerum vocabat. At S. Dionysius ibidem demonstrat, Deum esse primam causam particularium entium, secundum quod sunt in proprijs & determinatis naturis; & omnia esse in ipso existentia, ex ipso incipientia, in ipso custodita, ad ipsum terminata, & ab illo prædefinita, & prædeterminata, exemplaribus divinis prædeterminatibus, quæ sunt quasi principia divina sapientiæ practicæ, quæ Deus omnia producit. *Exemplaria*, inquit, *esse dicimus in Deo, existentium rationes substantivas, & singulariter præexistentes, quas Theologia PRÆDEFINITIONES vocat, & divinas & bonas voluntates, existentium PRÆDETERMINATIVAS, & effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædefinit, & produxit.* Quibus verbis expressè docet, quod sicut artifex volens domum edificare, prius eam in mente format, & omnes ejus partes determinat ac disponit, & postmodum eam producit in re. Ita Deus tanquam supremus artifex, ab aeterno prædefinit omnia & singula, quæ in universo mundo erat facturus, & consequenter etiam actus liberos voluntatis nostræ. Unde D. Damascenus orat, i. de imagin. citans hunc locum D. Dionysij, ait: *Has imagines & exemplaria, prædefinitiones appellat Sanctus ille, Dei munere, divinis in rebus considerandis & explicandis, excellentissimus Dionysius: omnia enim ab illo præfinita, & sine ulla commutatione in ejus consilio, non aliter antequam fierent, erant expressa, quam si quis vellet edificare domum, prius imaginem ac formam ipsam in animo effingit, & cogitatione complectitur.*

105. Responder Petrus à S. Joseph in Opusculo quod defensionem Divi Thome appellat: in hoc Tom. I.

A testimonio Dionysij, solum explicari ideas omnium rerum, ab aeterno in mente divina præexistentes, nec ibidem ullam fieri mentionem de decreto prædefiniente rerum existentiam, vel futuritionem.

Sed contra: Dionysius ibi non loquitur de ideis purè speculativis, quibus res merè possibles, in divina essentia & omnipotencia, tanquam in causa representantur; sed de ideis practicis, & representantibus res ut existentes, vel futuras: Atque idea practica, & representantes res ut existentes, vel futuras, involvunt propositum, seu decretum efficax divina voluntatis, quo res merè possibles transferuntur a statu mere possibilitatis, ad statum existentie vel futuritionis, ut docet D. Thomas quart. 6. de verit. art. 6. his verbis: *Idea in Deo ad ea qua sum, vel fuerint, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divina voluntatis.* Ergo Dionysius non loquitur ibi solum de divinis ideis, sed etiam de decreto, & prædefinitione divinæ voluntatis.

Confirmatur: Dionysius in prefato testimonio dicit quid Theologia hujusmodi ideas & exemplaria in mente divina existentia, *Prædefinitiones vocat, & divinas ac bonas voluntates, existentium prædeterminativas.* Et S. Thomas hunc locum explicans, ait: *Hujusmodi rationes sacra Scriptura vocat PRÆDEFINITIONES, & bonas voluntates, quæ sunt distinctiva entium, & effectivæ ipsorum; quia per hujusmodi rationes, supera substantialis Dei esse PRÆDETERMINAVIT OMNIA, & produxit.* Sed ideas nuda sumptæ, cùm non pertineant ad voluntatem, sed ad intellectum, non possunt appellari bona voluntates, neque nomine prædefinitionis, & prædeterminationis insigniri, nisi considerent ut determinata, & applicata ad certos effectus representandos & producendos, per decretum efficax, & prædeterminans rerum existentiam, vel futuritionem, ut de se patet: Ergo D. Dionysius, & S. Thomas, in prefato testimonio, non loquuntur solum de ideis divinis, sed etiam de decreto prædefiniente & prædeterminante futuritionem, vel existentiam rerum.

§. IV.

Alia Sanctorum Patrum testimonia.

P Reter hoc celebre D. Dionysij testimonium, plurima alia ex Sanctis Patribus adduci solent a nostris Thomistis, in ejusdem veritatis confirmationem. Insignis est locus Augustini apud Prosperum sententiæ §8. sic dicentes, *Divina voluntas est suprema causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum: nihil enim sit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili, & intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur &c.* Et in libro Soliloquiorum, qui in appendice tom. 9. habetur, cap. 26. sic dicitur: *Priusquam me formares in utero, novisti me, & aniequam exire de vulva, quidquid tibi placuit, præordinasti de me.* Et cap. 24. *Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis.* Et §. de civitate Dei cap. 9. dicit, quod voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere volvit, arque præcivit. Et idèo quidquid valent, certissime valent, & quod facture sunt ipsæ, omnino factura sunt. Et ibidem, ad designandam summam & infinitam divina voluntatis efficaciam, & infallibilitatem, docet eam aliquo modo fati nomine appellari posse: ait enim. *Quapropter si mibi factum*

§. 3

DISPUTATIO OCTAVA

nun alicui rei adhibendum placeret, magis dicere esse fatum infirmioris posterioris voluntatem qui eum habet in potestate. Unde Boëtius 4. de consolat prosa 7. hæc scribit: *Ordo fatalis ex providentia simplicitate procedit: sicut enim artifex faciendo rei formam mente concipiens, moveat operis effectum; ita Deus providentia singulari, singula moveat, ac in fallibiliter disponit facienda.* Denique idem Augustinus Tractatu 105. in Joan. ait: *Deus omnia futura prædestinavit.* Et Tractatu 68. *Deus fecit futura ea prædestinando.* Et de prædest. Sanctorum cap. 10. *Prædestinatione sua Deus ea præscivit quæ fuerat ipse fakturus:* Deus autem non potest in sua prædestinatione seu decreto, actus nostrorum futuros præscire, nisi tale decretu sit de se efficax, & causans liberam nostram voluntatis determinationem, subindeque eam prædeterminans, non vero futurum ejus consensum & determinationem expectans, ut in Tractatu de scientia Dei ostendimus.

*Disp. 4.
art. 4.*

Denique idem S. Doctor, & invictissimus divinæ gratiæ defensor, lib. de bono persever. cap. 17. hæc scribit: *Si bona opera dantur à Deo, & se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit.* Nomine autem prædestinationis, D. Augustinus & alij Sancti Patres, non solum transmissionem electorum ad gloriam, sed etiam divina voluntatis prædefinitionem & prædeterminationem, respectu actuum nostrorum liberorum significant, ut in Tractatu de scientia Dei ostendimus. Unde Fulgentius lib. 3. de verit. prædestinationis & gratiæ cap. 2. *Deus prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam eternam, prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem, prædestinavit adoptando in seculo, prædestinavit glorificando in regno.* Id ipsum etiam ingenue fateatur Molina infra quest. 23. disp. 1. ad art. 1. & 2. §. alij vero: ubi aliquorum Patrum recenserent sententiam, qui prædestinationem volunt significare prædefinitionem ac præordinationem, eamque locis firmat Scripturæ, quos Latinus Interpres transtulit *Prædestinavit: cùm in Græco habeatur verbum πρεσβίτως, quod est præfatio, præstitio, prætermino.*

*Disp. 6.
art. 4.*

S. V.
Testimonia D. Thome.

108.

DIvo Augustino concinit fidelissimus ejus discipulus S. Thomas, qui varijs in locis, easdem divina voluntatis prædefinitions, apertissime docet. Nam quæst. 3. de verit. art. 7. ait in terminis: *Omnes effectus secundi ex prædestinatione Dei proveniunt.* Si omnes: Ergo nulli sunt qui non proveniant: Ergo etiam liber consensus nostræ voluntatis est a Deo prædeterminatus, & non solum prævisus, & subiacet ordini prædestinationis, & non solum præscientiæ. Unde idem S. Doctor quæst. 6. de verit. art. 2. ad 11. inquit: *Hoc ipsum quod est velle accipere gratiam, est nobis ex prædestinatione.* Et in hac parte quæst. 23. art. 5. expressè docet, quod non est distinctum id quod est ex prædestinatione, & ex arbitrio nostro: *sicut nec est distinctum quod est ex causa prima & secunda.*

Præterea idem Angelicus Praeceptor 1. parte quæst. 116. art. 1. in corp. sic habet: *Ea quæ hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive humanis, reducuntur in aliquam causam præordinantem, quæ est providentia divina.* Et quodlibet 12. art. 4. subscribit sententia illorum qui

A dicunt, quod à Providentia Dei omnia sunt præ-determinata, & ordinata. Et in hoc sensu ibidem docet cum Augustino suprà relato, posse concedi omnia subjici fato, dummodo nomine fati, intelligamus divinam providentiam, omnia quæ sunt in mundo, absoluto & efficaci decreto præordinantem, & prædeterminantem. Et in 1. ad Annibaldum dist. 37. quest. unicà art. 4. ait expressè, *A voluntate divina modum rerum producendarum est prædeterminatum.* Item ad caput 37. Isaïa in illa verba: *Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei?* inquit ex Dei persona: *Malum pœna quod per ipsum inferre prævidi,* & PRÆDETERMINAVI. Et opusc. 1. cap. 16. docet ex Athanasio, Incarnationem Christi esse factam, secundum PRÆDETERMINATIONEM DIVINAM. Item 1. ad Timot. 2. lect. 2. exponens illa verba Apostoli, *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est,* inquit: *Temporibus scilicet quibus PRÆDETERMINATUM erat fieri.* Et in hac parte quæst. sequenti art. 1. ad 1. solvens argumentum ex Damasceno dicente: *Omnia quidem præconoscit Deus, sed non omnia prædeterminat:* Respondet quod Damascenus vocat prædeterminationem, impositionem necessitatis: *sicut in rebus naturalibus quæ sunt determinatae ad unum.* Et eodem modo satisfacit 3. contra Gent. cap. 90. in fine, ubi ait: *Id quod docet Damascenus, quod Deus ea quæ sunt in nobis prænoscit, sed non prædeterminat, exponendum est, ut intelligatur, ea quæ sunt in nobis, divinae determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Senit ergo S. Thomas, decretum voluntatem nostram prædeterminans, non ad unum per modum naturæ, sed per modum libertatis, esse necessariò admittendum; alioquin frustra si explicuisset Damascenum, imo nec debuisset illum interpretari, sed illius dictum absolute concedere.

D Ex quibus testimonij, fideliter, & de verbo ad 109. verbum relatis, intelliges quād parū versati sunt in lectione D. Thomæ quidam Recentiores, qui dicunt nomen hoc, prædeterminationis, nullibi apud S. Thomam reperi, sed à recentioribus Thomistis fuisse ex cogitatum.

E Intelliges etiam, eosdem Autores immerito hoc nomen rejicare ac desplicere, cùm illud usurpetur, non solum à S. Thoma, sed etiam à D. Dionysio, Damasceno, Athanasio, aliisque SS. Patribus suprà relatis. Imo S. Dionysius dicat, *sacram Theologiam: Sanctus verò Thomas, sacram Scripturam, appellare rationes, seu ideas in mente Dei existentes, & per liberum Dei decretu, ad certos & determinatos effectus producendos & repræsentandos determinatas: Divinas & bonas voluntates, existentiam PRÆTERMINATIVAS, ut constat ex locis suprà relatis.* Et merito quod ille sacram Theologiam, iste sacram Scripturam dixit, nam tempore S. Dionysii, quæ erat alia sacra Theologia, quād Scriptura sacra?

F Denique S. Doctorem decreta prædeterminantia admisisse, argumentum evidens est, quod ipse pluribus suis doctrinalibus locis, quæ in Tractatu de scientia Dei reperimus, docuit scientiam Dei respectu futurorum contingentium, & actuum nostrorum liberorum, fundari in decreto, illique ut medio niti: decretum enim Dei non potest habere rationem mediij in quo certò & infallibiliter futura contingentia & actus liberos nostræ voluntatis cognoscatur, nisi sit prædeterminans, seu

*Disp. 4.
art. 5.
§. 2.*

DE PROVIDENTIA DEI.

511

determinationem nostræ voluntatis prioritate A
 naturæ & causalitatis antecedens: nam (ut ibi-
 dem observavimus) ut aliquid habeat rationem
 medi⁹ ducens certò & infallibiliter in cognitio-
 nem alterius, debet habere certam & infallibili-
 lem cum eo connexionem, illudque prioritate
 saltem naturæ & causalitatis antecedere: si enim
 esset purè concomitans, & ei correlatum, cùm
 concomitantia & correlata sint simul cognitione
 & naturæ, ut docent Philosophi, illa simul cog-
 noscerentur, & utrumque esset reciprocè ratio
 cognoscendi aliud, ut constat in paternitate &
 filiatione. Hæ autem conditions non possunt con-
 venire nisi de cœrto prädeterminant, quia decre-
 tum indifferens non habet infallibilem nexus
 cum actibus liberis nostræ voluntatis, sed indif-
 ferenter conjungitur & componitur cum consen-
 su vel dissensu, ad libitum ipsius voluntatis crea-
 tæ, tale de cœrto purificantis, ac determinantis
 ad quodcumque voluerit. De cœrto vero abso-
 lutum, subordinatum scientiæ mediae, & ab ea
 regulatum, non antecedit prioritate naturæ con-
 sensum & determinationem voluntatis, sed illud
 in priori naturæ supponit à Deo prævisum per
 scientiam illam exploratricem, quia juxta Adver-
 sariorum, nisi præscientia exploraverit, prädestina-
 tio nihil decernit.

§. VI.

*Praecluditur aditus solita evasioni Adver-
sariorum.*

III. **T**am clara & expressa Scripturæ & Sancto-
 rum Patrum testimonia, conantur eludere
 Adversarij, dicendo his locis solum haberi, Deum
 prädefinire omnia opera nostra, antequam fiant
 actū in tempore; non tamen antequam per scien-
 tiā medianā prävideantur futura. Verū huic
 evasioni facile ex suprà dictis aditus praecaudi-
 potest.

112. In primis enim illa responsio non habet locum
 in sententia plurium Recentiorum, qui in Deo
 agnoscunt de cœrto solum indifferentia & condi-
 tionata, respectu nostrorum actuum liberorum;
 & negant omnia de cœrto determinata & absoluta,
 omnesque prädefinitions relatas ad actus libe-
 ros nostræ voluntatis.

113. Secundò, Contra hanc evasionem militant
 Scriptura testimonia §. 2. adducta. Si enim Deus
 non posset quidquam circa actus liberos nostræ
 voluntatis definire & decernere, nisi præviso
 consensu, & deliberatione nostræ, non operaretur
 omnia secundum consilium voluntatis suæ,
 ut dicit Apostolus; sed potius secundum consilium,
 & deliberationem, seu electionem voluntatis
 nostræ, ut olim docebat Faustus, cuius verba
 infra referemus. Item si divina constitutio &
 de cœrto supponeret prævisionem futuri con-
 sensus voluntatis creatæ, ineptè dicerentur ab
 Apostolo fideles creati in Christo Iesu in operi-
 bus bonis: divinum enim de cœrto, quo ab æter-
 no Deus bona opera preparavit, majorem habe-
 ret similitudinem & analogiam cum eductione,
 quæ sit ex præsupposito subjecto, quam cum
 creatione, quæ nullum præsupponit subjectum.
 Incongrue etiam Deus diceretur in Scriptura tra-
 here homines ad consensum, & de nolentibus
 facere volentes: ubi enim prävidetur voluntas
 hominis consensu, & seipsum sub auxilio &
 concursu merè indifferenti determinatura, ibi
 nulla potest esse vel imaginari traxio, vel cordis

Lib. 1.
 contra
 duas
 epist.

immutatio: *Quis enim (inquit Augustinus) traxit Pelagius?*
 hitur, si jam volebas &c.

Tertiò, Contra eandem responsionem pugnant
 präfata Sanctorum Patrum testimonia, in quibus
 dicitur omnia esse à Deo præordinata, præ-
 definita, & prädeterminata. Si enim de cœrto
 quo Deus bona opera decernit, ac definir,
 esset ordine rationis posterius determinatione
 prævisu voluntatis creatæ, incongrue divinæ vo-
 lutionis prädefinitio, & prädeterminatio voca-
 tur, & potius ejus postdefinitio, & postde-
 terminatio deberet appellari.

Quartò, D. Augustinus & S. Thomas supra
 relati, docent in bono sensu posse admitti fatum,
 dummodo hoc nomine non intelligamus disposi-
 tionem fiderum, & concatenationem, seu coor-
 dinationem causarum naturalium, à qua Gentiles
 existimabant omnia in rebus humanis contin-
 gere, sed divinam providentiam, omnia que
 fiunt in mundo, ab æterno præordinantem &
 prädeterminantem conformiter ad naturam &
 conditionem cuiuslibet rei creatæ. Unde dicit
 Augustinus §. de civit. relatus à D. Thoma quodlibeto 12. articulo 4. *Si quis hoc modo intelligat fatum, sententiam teneat, & linguam corrigat, nec dicat fatum, sed Dei providentiam. Sed absurdum esset ac ridiculum, divinam providentiam fati nomine appellare, si nihil circa nostros actus liberos decerneret ac definiret, nisi supposita prævisione futuri consensus nostræ voluntatis:*
 Ergo &c.

Quintò, Hæc responsio videtur favere doctri-
 na Fausti lib. 2. de gratia & libero arbit. cap. 2.
 ubi ait, quod magis de origine voluntatis huma-
 na, genus præscientie derivatur, & quod præ-
 cienza Dei de materia humanorum actuum sumit
 exordium.

Denique, SS. Patres, ut reddant rationem in-
 fallibilitatis divine providentiae, non recurunt
 ad Dei præscientiam explorantem futurum con-
 sensum liberi arbitrii creati, sed potius ad infinitam
 efficaciam divinae voluntatis, efficientis per
 suam gratiam ut voluntas creata infallibiliter &
 liberè, divinæ vocationi consentiat, ut constat
 ex locis disp. 5. relatis: präsertim ex illo percele-
 bri Augustini testimonio de prädest. Sanctorum
 cap. 10. ubi explicans hæc verba Apostoli: *Cre-
 didit Abraham Deo, quoniam quæ promisit potens
 est & facere, & ponderans hæc ultima verba:
 Non ait prædicere (inquit) atque præscire, sed
 ait, potens & facere: ac per hoc facta non aliena
 sed sua: quia ut immediatè antea dixerat:
 Etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colerendum
 Deum, ipse facit ut illi faciant quæ precipit,
 non illi faciunt ut ipse faciat quæ promisit; alio-
 quin ut Dei promissa compleantur, non in Dei sed
 in hominum est potestate, & quod à Domino pro-
 missum est, ab ipsis redditur Abraham. Et de cor-
 Ecept. & gratia cap. 8. reducit infallibilem perse-
 verantium Petri in fide, ad divinam präparatio-
 nem, quæ est prädefinitio seu prädeterminatio, &
 inquit: *Quis ignorat fuisse perituram fidem
 Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas, ipsa defi-
 ceret, & permanessem, si eadem voluntas mane-
 ret? Sed quia preparatur voluntas à Domino, ideo
 pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Ecce
 totam caufam infallibilem efficacia habendi fir-
 mam perseverantium in fide, quia scilicet präpa-
 ratur voluntas à Domino: Ergo ex präparatione
 & prädefinitione Dei, non ex prævisione futuri
 consensus, & ex präsuppositione aliqua prævisa**

ex parte nostri, provenit infallibilitas, & efficacia divini decreti.

Cap. 5. Idem docet Anselmus libro de concordia prædestinationis & liberi arbitrij, his verbis: *Quoniam enim quod Deus vult non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nullam cogi aut probaberis necessitate ad volendum vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Quibus verbis infallibilitatem effectus liberi reducit tanquam in primam radicem, ad absolutum & efficax decretum voluntatis divinæ; prædefinitis actus futuros, etiam contingentes & liberos, ratione cuius non potest in sensu composito, & facta suppositione divini decreti, non subsequi actus à Deo volitus.

§. VII.**Rationes Theologicae.**

Pura sunt fundamenta Theologica, ex quibus nostri Thomistæ probare solent, Deum actus nostros liberos, sine laßione & præjudicio libertatis creare, infinita suā providentia ab æterno prædefinire, & prædeterminare. Nos hic solidiora, & faciliora exponemus.

318. Primum potest sic proponi. Deus est primum ens, ac proinde primum intelligens, & primum volens, & consequenter primum liberum: Sed primum liberum debet prædefinire, & prædeterminare actus liberos voluntatis creatæ: Ergo & Deus. Major patet, Minor vero, in qua est difficultas, sic probatur. Primum liberum debet esse primum eligens, & primum determinans; cum libertas voluntatis, in ejus elektione & determinatione consilat: Ergo non debet expectare, vel supponere, sed potius antecedere, & causare, ac proinde prædefinire liberam electionem, & determinationem voluntatis creatæ. Consequientia patet, si enim eam expectaret, vel supponeret, non esset primum eligens, & primum determinans respectu illius; illud enim quod est primum in aliquo genere, nullum aliud in tali ordine presupponit, sed est causa, & mensura ceterorum.

319. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Inter primum & secundum liberum, seu inter voluntatem divinam & humanam, eligentes & determinantes aliquam actionem liberam, v. g. conversionem Petri, debet esse aliqua subordinationis, ac proinde aliqua prioritas & posterioritas; subordinationis enim dicit ordinem, ordo autem essentialiter importat prioritatem & posterioritatem: Sed prioritas in eligendo, respectu talis conversionis, ut absolutè vel conditionatè future, non potest se tenere ex parte voluntatis creatæ Petri: Ergo deber se tenere ex parte voluntatis divinæ, talen conversionem prædicens, & prædeterminantis. Major patet, Minor vero probatur multipliciter. In primis enim si talis prioritas se teneret ex parte voluntatis creatæ, illa esset primum liberum respectu talis conversionis; illud enim censetur esse primum liberum respectu alicujus operationis, quod primò eam eligit, & determinat.

Secundò, Nos prius eligeremus Deum, quam Deus nos eligeret: quod repugnat verbis Christi Domini Joan. 15. dicentis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quorum verborum sensus est, juxta explicationem D. Augustini cap. 17. de prædest. Sanctorum, & D. Thomæ in hunclo-

A cum Joannis: Apostolos non prius elegisse sequi Christum, quam ipsos Christus elegere in Discipulos.

Tertio, Voluntas divina subordinaret humanae, subiungeretur illi, essetque eà posterior, & veluti ejus pedis sequa: quod est contra definitionem Concilij Araticani, & contra expressam doctrinam D. Augustini.

Denique, Cùm voluntas creata essentialiter dependeat in volendo & opérando à divina, implicat contradictionem, quod homo sit, vel concipiatur prius volens, & eligens aliquam actionem bonam, quam Deus: juxta illud Augustini, *Velle quod bonus est non possum, nisi in velis.*

Secunda ratio sumitur ex D. Thoma in questionibus disputatis, quæst. unicâ de providentia art. 10. ubi ait: *Omne multiforme, & mutabile, & deficere potens, reducitur sicut in principiū in aliquod uniforme, & immutabile, ac indeficibile.*

Sed electiones nostræ multipliciter habent, mutabilitatem, ac deficibilitatem, ut experientia constat: Ergo debent reduci in divinum decretum, tanquam in principium omnino uniforme, immutabile, & indeficibile. Quam rationem tangit etiam Aristoteles 7. Eudemica Ethica cap. 18. relatus à D. Thoma 3. contra Gentes cap. 89. ubi sic ait: *Hujus (inquit Philosophus) quod aliquis intelligat, consilietur, eligat, & velit, oportet aliquid esse causam, quia omnia novum oportet quod habeat aliquam causam: si autem est causa ejus aliud consilium, & alia voluntas præcedens, cum non sit procedere in his in infinitum, oportet deveneri ad aliquod primum: hujusmodi autem primum, oportet esse melius ratione, quod est Deus: Est igitur primum principium nostrorum consiliorum, & voluntatum.*

Tertia ratiō: Deus habet perfectam providentiam de electionibus, & actibus liberis creature rationalis: Ergo illos prædefines, & prædeterminat. Antecedens est certum, & demonstratur à D. Thoma 3. contra Gent. cap. 90. potestque evidenti ratione suaderi. Homines enim habent providentiam & regimen de suis actibus liberis,

D & leges condunt de his quæ liberè agenda sunt: Ergo à fortiori Deus, alioquin humana providentia aliquid attingeret ad quod divina non se extenderet. Consequientia vero probatur. Providentia enim quæ nititur decreto conditionato & indifferenti, quale solum plures ex recentioribus in Deo admittunt, est valde imperfetta. Tum quia est incerta & fallibilis, utpote nixa decreto purè indifferenti, & non habenti infallibilem neminem cum consensu potius quam cum dissensu liberi arbitrij creati. Tum etiam quia est potentialis, & confusa, vaga, & indeterminata, utpote determinans concurrere cum causis liberis, vagis, & indeterminatis, & ad quodcumque illæ volerint, & nihil in particulari circa nostros actus liberos definiendo, vel determinando. Tum denique, quia talis providentia in sua determinatione & causalitate dependet à libero arbitrio, concussum Dei indifferentem, ad speciem actus determinante, & est veluti pendula, & liberi arbitrij consensum & determinationem expectans.

Similiter etiam alia providentia quæ utitur decreto absoluто, supponente prævisionem futuri consensu per scientiam medium, est imperfecta, utpote purè speculativa, & explorativa consensus liberi arbitrij sub conditione futuri, quem non prædefines, nec prædestinat, sed tantum

DE PROVIDENTIA DEI.

513

Atantum prævidet & explorat. Præterea talis providentia infirmitatem & impotentiam Deo attribuit, & illi denegat supremum dominium in nostras voluntates, & ut loquitur Augustinus, *Humanorum cordium quocunque voluerit inclinandorum omnipotensissimam potestatam*, ut alibi fusc exposuimus; Deumque assimilat illis hominibus, de quibus fit mentio Lucae 14. quorum alter volens ædificare turrim, prius sedens computat si habeat sumptus necessarios ad perficiendum, ne incipiat, & perficiere non possit.

In Tractatu de scientia Dei disp. 6. art. 6. §. 5. Alter verò iturus committere bellum adversus alium Regem, cogitat si possit cum decem milibus occurrere venienti cum viginti milibus. Ut enim est in illis hominibus sollicitudo, & anxietas ad media inquirenda, ita similiter in Deo constituant scientiam medium, ad explorandas occasiones, opportunitates, & circumstantias temporis & loci, in quibus homo consensurus est divina vocationi, & ad investiganda media per quæ certò & infallibiliter possit assentiendi quod intendit. Item sicut in illis hominibus est impotentia: si enim essent omnipotentes, fine virium suarum examine aggredierentur intrepidè quæ cogitant. Ita etiam in Deo singitur impotentia & infirmitas, si independenter ab illa præscientia & prævisione futuri consensus humanæ voluntatis, non habeat in thesauris suæ omnipotentia media efficacissima, quibus fortiter & suaviter, infallibiliter & liberè, possit movere, applicare, ac determinare voluntates nostras, ad volendum quidquid ipse voluerit. *Quis porro* (inquit Augustinus) *tanimpie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?*

Dis. 6. art. 2. 5. 8. Posset etiam suaderi conclusio argumento desumpto ex indifferentia voluntatis, quæ cùm quandoque sit in actu, quandoque in potentia, non potest in actu exire, nisi ab aliquo movente extrinseco, quod sit semper in actu, & numquam in potentia, ad unum per modum liberi determinetur, juxta illud Commentatoris secundo physic. *Ab eo quod est ad urumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclineatur ad unum.* Sed quia hanc rationem in Tractatu de Scientia Dei attingimus, eamque fusi prosequemur in Tractatu de actibus humanis, eam in præsenti prætermittimus, ut ad aliam ex Tractatu de Incarnatione desumptam progrediamur.

§. VIII.

Argumentum desumptum ex mysterio Incarnationis.

E123. Ultimò suaderi potest conclusio argumento desumpto ex Tractatu de Incarnatione, quod potest sub hac forma proponi. Secundum Scripturam, & Santos Patres, omnes actiones & passiones Christi fuerunt à Deo prædefinitæ, & imperatae; & tamen, non obstatne tali prædefinitione & præcepto, fuerunt meritoriae, & consequenter perfecitæ liberae, cùm libertas sit una ex conditionibus ad meritum requisitis: Ergo simul stant hæc duo, quod aliquis actus sit à Deo prædefinitus & prædeterminatus, & nihilominus sit perfectè liber, & meritorius; & sic ruit præcipuum Adversariorum fundamentum. Consequentia pater, Antecedens probatur ex illo Lucae 22. *Filius hominis sicut DEFINITVM est vadit.* Et Actorum 4. *Convenuerunt in civitate Tom. I.*

Cista adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unscisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israël, facere que manus tua & consilium tuum DECREVERUNT fieri. Unde Leo Cap. 4. Papa Sermon 7. de passione Domini: *Nulla poterat ratione turbari, quod ante aeterna secula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter PRÆFINITVM.* Et Sermon 9. *Sacramentum humani generis fuit ante tempora aeterna dispositum, & per multas significaciones omnibus retro seculis nunciatum.* Item D. Athanasius relatus à D. Thoma opusculo 1. cap. 16. docet *Mysterium Incarnationis esse factum*, secundum PRÆDETERMINATIONEM DIVINAM: Ergo actiones & passiones Christi Domini fuerunt à Deo prædefinitæ.

Duobus modis ab hoc argumento conantur se expedire Adversarij. In primis enim aliqui cum Vazque, Valentia, & Monceo, dicunt actiones & passiones Christi Domini fuisse quidem à Deo prædefinitæ, & Christo imperatas à Patre, quantum ad substantiam, sed non quantum ad circumstantias; pùt quod Christus moretur tali loco, tali tempore, tali modo. Unde consequenter ad hanc doctrinam assurunt, Christum non meruisse adimplendo præceptum Patri, quantum ad substantiam, sed solum quantum ad circumstantias.

CAlij verò negare non audent actiones & passiones Christi Domini fuisse prædefinitæ à Deo, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad circumstantias, sed addunt talem prædefinitionem supponere prævisionem futuri consensus voluntatis humanae Christi. Unde duo signa vel instantia rationis in Deo singunt, in quorum primo dicunt, Deum explorasse, & prævidisse per scientiam medium, quid voluntas creata Christi volitura esset, si poneretur in talibus & talibus circumstantiis; & videns quod illa liberè consensura esset ejus prædefinitioni & præcepto, voluit in sequenti signo illi imponere præceptum moriendo, ejusque mortem & passionem, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad circumstantias, prædefinivit.

Utraque hæc responsio in Tractatu de Incarnatione à nostris Thomistis multipliciter confutari solet. Contra primam arguitur primum ex illo Joan. 4. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quibus verbis denotatur, non solum substantiam operis, sed etiam modum ex circumstantijs desumptum, sub præcepto Patri fuisse, ac proinde fuisse ab ipso prædefinitum. Unde Actorum 4. illa circumstantia mortis Christi, quod Herodes & Pilatus convenerint in Hierusalem, dicitur à Deo decreta. Prodigio Judæ, flagellatio, crucifixio, acetum & fellis potatio, passim in Psalmis prophetantur. Circumstantia etiam temporis notatur Joan. 13. *Sciens Iesus quia venit hora ejus.* Et capite 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Quæ verba exponens D. August. Tract. 104. in Joan. sicut ait: *Ostendit omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo creditus hec hora, fate urgente venisse, sed Deo posita ordinante.*

Secundò impugnatur eadem responsio: Christus mortuus est ex perfectissima obedientia, immo ut ait Bernardus, *Ne perderet obedientiam,*

T. II.

127.

perdidit vitam: Sed perfectior est obedientia, quæ opus quoad substantiam & omnes circumstantias, præceptum, & prædefinitionem supponit, quamque solum supponit substantiam operis præceptam & prædefinitionem: Ergo non solum mors Christi, quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad omnes ejus circumstantias, fuit Christo imperata, & à Deo prædefinita.

128. Tertiò, Ex hac doctrina & responsione Adversariorum sequitur Christum non meruisse ex eo præcisè quod mortuus est, sed ex eo solum quod tali vel tali modo, aut loco, putat in cruce, in monte Calvarie, &c. At hoc absurdum, & erroneum est: Ergo &c. Sequela Majoris est evidens, nam juxta principia Adversariorum, in Christo non potest esse libertas, nec consequenter meritum, ex ea parte quæ est prædefinitione, vel præceptum: Ergo si mors Christi fuit à Deo quantum ad substantiam prædefinita, & à Patre imperata, illa non potuit esse libera, nec consequenter meritoria quantum ad substantiam. Falsitas autem Minoris constat. Tum quia Apostolus ad Philippenses 2. docet quod Christus meruit sui nominis exaltationem, per mortem & passionem quam ex obedientia pertulit: *Fatus (inquit) obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Tum etiam, quia ipsa mors & passio Christi, quantum ad substantiam, fuit opus maximè difficile, & laboriosum Christo. Tum denique, quia illa fuit satisfactionia pro peccatis nostris, ut est certum de fide: Ergo & meritoria. Consequentia patet: Non enim minor requiritur libertas ad satisfactionem, quam ad meritum.

129. Denique impugnatur eadem responso. Divina providentia, cùm sit perfectissima, & universalissima, & se extendat ad omnia ad quæ se extendet ejus causalitas, attingit actus nostros liberos, non solum quod substantiam, sed etiam quantum ad omnes illorum circumstantias, formalitates, & modos; ut constat ex supra dictis: Ergo cùm Deus habeat, vel habuerit multò perfectiorem providentiam de actionibus & passionibus Christi Domini (quia illæ erant summi momenti, & infiniti valoris & estimationis, & ab ipsis pendebat salus orbis, & honoris divini instauratio) quam de nostris operationibus, negari non potest illas fuisse ab ipso prædefinitas, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad modum & circumstantias.

130. Secunda etiam responso efficaciter impugnari potest, ex triplici absurdo & inconveniente quod ex illa sequitur. In primis enim hæc responso evacuat meritum obedientia Christi. Tunc enim obedientia destruitur, quando superior tenetur accommodare voluntatem suam voluntati inferiori, & non è contra; tunc enim superior magis facit voluntatem subiti, quam subitus voluntatem prælati. Atqui si Deus, salvâ & incolumi Christi libertate, nihil potuit ei præcipere, nec ullam ejus actionem, vel passionem prædefinire, nisi prius exploraverit per scientiam medium, quid ille ex innata libertate volitus esset, debuit voluntatem suam accommodare voluntati Christi, & operari, non secundum consilium voluntatis suæ, sed juxta consensum & determinationem voluntatis humanae Christi: Ergo ex hac responso & doctrina destruitur meritum obedientia Christi.

Hoc potest magis declarari exemplo Religorum: si enim prælatus teneretur se accommodare

A dare voluntati subditorum, nec posset eis præcipere, nisi quod prævideret eos ex innata libertate, & propria inclinatione volituros, certe facile esset ipsis obtemperate, & nullum, aut parvum foret in Religiosis obedientia meritum. Unde sicut in tali casu Religiosus non posset dicere: sicut præcipit mihi prælatus sic facio, sed potius dicere deberet, sic facio sicut prælatus prævidit me volitum. Ita similiter, Christus non debuisset dicere: *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* Sed potius, sic operor & ago, sicut Pater ab æterno præscivit me volitum.

Secundò, Si voluntas quam Christus habuit moriendi in cruce pro salute hominum, antecepit decretum & prædefinitionem Dei, sequitur quod salus hominum debeat refundi tanquam in primam causam, in humanam Christi voluntatem, non verò in divinum decretum, & æternam Dei prædeterminationem: hoc autem est plusquam falsum: Ergo & illud. Sequela probatur: Illa causa quæ primò se determinat ad salutem hominum, est prima causa, & prima radix talis salutis: At juxta hanc responsonem & doctrinam Adversariorum, divina voluntas non primò se determinat ad tam salutem, sed ipsa humana voluntas Christi: siquidem Deus antecedenter ad suum decretum, quod nihil aliud est quam libera sua voluntatis determinatio, prævidit per scientiam medium quod humana voluntas Christi, posita in tali & tali circumstantia, erat se determinatura ad morientum in cruce pro salute hominum: Ergo divina voluntas non fuit prima causa, & primum determinans hominum salutem, sed potius ipsa humana voluntas Christi.

131. Tertiò, Ex eadem responso sequitur prædestinationem Christi non fuisse purè gratuitam,

sed dependentem à præscientia meritorum: Consequens est falsum, ut demonstrant Theologi in Tractatu de Incarnatione, & multis Scriptura testimonijs probat D. Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. & sequentibus: Ergo &c. Sequela probatur: Ideo plures ex Adversariis docent prædestinationem Angelorum & hominum fieri ex prævisis meritis, quia Deus in signo rationis antecedenti electionem illorum ad gloriam, prævidit bona illorum opera, & futurum consensum voluntatis creare: Ergo similiter, si in signo antecedenti Christi prædestinationem, prævidit bona ejus opera futura, & futurum consensum voluntatis humanae Christi, ejus prædestinatio non fuit purè gratuita, sed dependens à præscientia meritorum.

ARTICVLVS IV.

Præcipue objectiones solvantur.

PRAECIPUE Adversariorum objectiones solvantur sunt supra, agendo de divinorum decretorum efficacia, & in Tractatu de scientia Dei, convolvendo fundamenta scientiarum mediarum; solum hic relevant quædam Scripturæ & SS. Patrum testimonia exponenda, quæ videntur militare contra nostram sententiam.

